

# IOANNIS FABRICII MONTA- NI POEMATA.

*Syluarum liber unus.*

*De consulibus Tigurinis lib. primus.*

*De Vivilhelmo Thellio Elegia.*

CVM EPITHALAMIO IO-  
annis Alti Francobergensis.



TIGVRI APVD GESNEROS  
fratres.

S Y L V A R V M   L I B E R .

7

Vis caca nigri turbinis.  
Ceu pinus ingens tunditur,  
Hinc inde, vastis fluctibus,  
Seruare cursum nescia:  
Sic est iter mortalium:  
Sic pessimus libidinum  
Hinc inde nos fert impetus.  
Eeritur ut certantium  
Scopus, sagittis vndique:  
Sic nos patemus ictibus,  
Hac carnis, hacq; demonis.  
I E S V benigne dexteram  
In his procellis porrige:  
Cedo salutis anchoram,  
Ne nauis vndis obruta,  
Nos mergat imis inferis.  
I E S V benigne subueni:  
Auerte mortis spicula,  
Tecumq; per cælestium  
Nos quæso fidas semitas,  
Duc ad beata gaudia.

D E   V I T A   B E A T A

Vita datur nulli dono, datur omnibus usu:  
Vis quicunque diu viuere, viue bene.  
Quod tibi non gemmæ de derint, non diuitis auris  
Pondera, non culti iugera mille soli.

A 4

## IO ANNIS FÆBRICII

Divitijs hominum mentes capiuntur auaræ:

Nullus ab his didicit cedere corde dolor.

Est pietas contenta Deo: cui contigit illa

Possidet in parua maxima regna casa.

Hanc oro, maneatq; precor: tunc paupere cultu

Par etiam magnis regibus esse volo.

Quod si nulla mihi pictis nitet aula tapetis,

Si mea non Tyro murice sponda rubet.

Nec parios aurata super laquearia postes

Lumine confurgunt versicolore domum.

Nil moror instar erit horum mihi parua supellex,

Et casa viminea crate reuincta latus.

Sic hyemis vitabo minas, & frigora saeva:

Seruiet exiguo proxima sylua foco.

Iuxta gratus ager rapas dabit, aut ubi messis

Tempus erit, plena farra resecta manu.

Si super hæc Agathe sociat sua gaudia mecum:

Tunc etiam vita cœlicolum potiar.

Ipsa mihi dulces natos, pulchramq; iuuentam,

Et simul amplexus, & bona verba dabit.

Hanc vitam coluere patres, quo tempore primum

Aurea sub prisca secla fuere fide.

Tunc cibus herbæ fuit, stratæq; sub arbore baccæ,

Arbutaq; in medijs inuenienda vijs.

Nauita cœruleam nec dum rate presserat undam,

Nullus & Eoi littoris usus erat.

Nunc mala quis numeret? medium percurrimus &

quor:

S Y L V A R V M   L I B E R .

9

Luxuria tellus sufficit una parum.  
Quærimus extremo lapides oriente iacentes,  
Per mare sollicitis aduehimusq; vijs.  
Ah quenquam rapidis vitam committere ventis,  
Et maris audaci pectore ferre minas.  
Quam potius laudandus is est, qui rura paterna  
Incolit, in parua consenuitq; casa.  
Ipse manu curui stiuam moderatur aratri,  
Filius at tardos increpat ante boues:  
Filia postq; comes, fert prandia nota canistris,  
Aut in fagineis lac niueum patinis.  
Mensa dehinc humilis viridi componitur umbra,  
Garrula qua gelido murmurat vnda pede.  
Interea coniunx obseruat rustica villam,  
Cum puerisq; domi vescitur ante focum,  
Aut etiam ante fores: tunc circum rustica pubes  
Accubat herboso cespite fulta latus.  
Caseolum tamen interdum premit illa recentem,  
Atq; fatigato lacte butyra parat.  
Infirmas aut tondet oves, aut vellera signat,  
Aut versat celeri stamina longa manu.  
Si non vana precor liceat cum coniuge fida,  
Sic mihi perpetuo viuere, sicq; mori.

A D   I O S I A M   S I M L E R V M .

Sic Iosia boni numinis alite,  
Te dedis teneris victus amoribus?

N 8